



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Capvt II. De Charitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT II. DE CHARITATE. CONTROVERSIA I.

Quodnam sit Objectum Formale Charitatis Theologicae.

517. **N**otandum 1. Sicut in Intellectu ob-
jectum aliud est Materiale & aliud
Formale, ita etiam in Voluntate.
Materiale est illud, quod non pro-
pter se, sed propter aliud intendimus, tanquam
Medium propter finem: Formale est illud, pro-
pter quod aliud intendimus, seu, quod movet vo-
luntatem ad aliud volendum.

518. Notandum 2. Finem seu objectum
in quod voluntas ultimum tendit, alium esse Finem
CVI: alium; *Cujus gratia*, seu finem Qui. Fi-
nis CUI, est illud suppositum, cui volumus a-
liquod Bonum, quia illi bonum est. Finis Qui,
seu *cujus gratia* est illa Bonitas, quae voluntatem
mouet & allicit. Circa quam

519. Notandum 3. Bonitatem hanc ite-
rum esse duplicem; alia est quae vocari potest
principalis & jam praesupposita, quae ut existens
voluntatem movet & excitat ad amorem, & ad
volendum alteri vel sibi aliud Bonum nondum
possessum. Alia est, quae primum ut acquirenda
intenditur. v. g. quando quis amat Petrum, amat
illum propter Bonitatem in illo repertam, v. g.
propter doctrinam, & haec est Bonitas seu Finis
Qui, principalis: quodsi ex vi hujus amoris vo-
lo Petro procurare honorem, divitias &c. haec
sunt motiva minus principalia.

520. Notand. 4. Amorem alium esse a-
morem Concupiscentiae, alium amorem Benevo-
lentiae. Amor Concupiscentiae est, quando a-
mans habet seipsum pro fine CVI, & quod vult
ideo vult, quia sibi bonum est. Amor Benevo-
lentiae est, quando Finis CUI est persona à no-
bis distincta.

521. Notandum 5. Amorem Benevolen-
tiae in hoc differre ab amore Concupiscentiae, quod
ad amandum alterum ut finem CUI, praerequi-
ratur cognitio Bonitatis praesupposita in illa per-
sona quam amamus: ad amorem Concupiscentiae
non est hoc necesse. Hanc doctrinam in
philosophia propugnavi contra Arriagam, eam-
que tener Conink & Lugo, & passim supponit Ri-
palda, ac approbat Pallavicinus, cui tamen inge-
niosi RR. nuper contradixerunt. Ratio breviter
& à priori est, quia ad volendum alicui Bonum,
debet amans cum amato esse antecederet con-

junctus. Conjunctio autem est duplex, alia per
identitatem Realem, alia per Metaphoricam, haec
est, per affectum. Cum ergo unusquisque se
sibi ipsi conjunctus per Identitatem, non est ne-
cessarium, ut praecognoscamus in nobis aliquam
bonitatem à qua excitemur ad nos ipsos ama-
dōs, & propter quam censeamur digni velle
bonis: hoc ipso enim quod illud bonum vo-
lumus mihi, jam illud mihi conjungo per affectum,
& affectu etiam mihi jungor, tendendo in aliquam
bonitatem quam mihi volo. At verò altere re-
res habet, quando volumus bonum alteri. Non
ille alter est à nobis realiter distinctus: ergo non
possumus illi velle bonum ut fini CUI, nisi
praesupponatur nobis saltem Metaphorice per af-
fectum identificatus. Ratio est, quia quidem
volumus, illud aliquo modo nobis conjungimus,
& fit aliquo modo nostrum bonum: unde omnia
bona amici censentur esse nostra, quia penes
nos delectant, ac si essent physice nostra: ergo
bona quae volumus amico ut fini CUI, illa no-
bis non jungimus immediate, sed mediante per-
sona amici: ergo debet praesupponi amicitiam
conjunctus: atqui non potest praesupponi con-
junctus nisi per affectum, qui inveniat in amico
aliquod bonum, omnis enim amor movetur à bo-
nitate: ergo à primo ad ultimum, ad amandum
alium, praerequitur bonitas praesupposita & pro-
cognita.

522. Ut responderent Recentiores praedi-
cati, dixerunt; Duas esse Bonitates praecogno-
scendas, ad volendum aliquod bonum sibi ipsi.
Prima est, capacitas boni voliti: altera est, boni-
tas finis CUI secum. Sed contra hoc argu-
mentabar primò. Capacitas alicujus boni non
est bonitas amabilis propter se, sed tantum est o-
mnia mabilis propter bonitatem termini, seu finem
cujus est capacitas: habet enim praecise rationem
Medij, & non esset vilo modo amabilis, nisi ter-
minus bonus esset; neque etiam posset amari in-
cluso termino per totam aeternitatem, cum tamen
bonitas finis CUI, potens movere ad amorem,
debeat posse amari propter se, seclusa alià quacum-
que bonitate, & debeat posse movere ad volen-
dum quodcumque bonum, cujus subiectum est re-
pax: ergo Capacitas non est Bonitas de qua in
praesenti loquimur & disputamus.

§13. Contra 2. Bonitas Finis CUI, potens movere & excitare affectum amoris, non debet esse æquè potens concurrere ad volendum atque ad volendum aliquod bonum: atqui Capacitas boni in alio cognita, est æquè potens concurrere ad volendum quàm ad volendum illud bonum, cuius est capacitas: nam quando aliquem odi, & illi nolo bonum, non minùs debeo præcognoscere capacitatem illius boni, atque, quando illi volo illud bonum.

§14. Contra 3. Bonitas Finis CUI, debet esse talis, quæ æqualiter possit movere ad amandum alium, atque ad amandum seipsum: atqui capacitas bonorum cognita in me, necessitat me ad vel volendum bonum cuius sum capax, vel ad volendam negationem illius, quia illam malo quàm ipsum bonum: in alio tamen cognita capacitas non necessitat me ad vel volendum illi bonum, vel negationem boni ex amore ipsius, quia possum illum nolle amare.

§15. Contra 4. Illa bonitas non rectè assignatur ex parte finis CUI, quæ non potest vltimò reddi pro ratione, quærenti cur velim aliquid bonum. Sed capacitas non potest reddi pro ratione. Minor probatur. Sicut se habet capacitas seu potentia passiva ad recipiendum, ita se habet potentia activa ad agendum: sed potentia activa ad agendum non potest vltimò reddi pro ratione, quando à me quæritur, cur agam: si enim te percutiam, & tu quæras, quare percutiam, ineptè respondebo: quia possum percutere: ergo pariter quærenti, cur alteri velim bonum, ineptè respondebo, quia est capax illius. Sic: quando quæritur ex me, cur Petro potiùs velim bonum, quàm malum, non possum reddere pro ratione: quia est capax illius: nam statim replicaretur: atqui est etiam capax mali: ergo in altero non potest capacitas reddi pro ratione: ergo nec quando amo me ipsum; nam adversarij expresse docent, quòd bonitas quæ movet ad amorem mei, moveat etiam ad amorem aliorum. Quanquam mihi satis est, si fateantur, aliam bonitatem præhabitam debere movere in alio, quæ non debeat movere ad amandum meipsum. Et hæc contra primam bonitatem assignatam.

§16. Quoad secundam Bonitatem à RR. assignatam, nempe Identitatem mei mecum, Contra est primò. Identitas Petri secum, non potest reddi pro ratione cur Petro velim potiùs bonum quàm malum: nam etiam ad volendum malum debeo præcognoscere, quòd Petrus sit idem secum. Contra est 2. Identitas mei mecum præcognita, necessitat me ad amorem mei, non item Identitas Petri secum necessitat ad amandum Petrum: ergo Identitas non est illa bonitas, quæ sit motivum amoris mei. Probatur consequentia. Nam motivum necessitans ad amorem, vbiunque est idem, semper facit idem, hoc est semper movet eodem modo: ergo cùm non possit assignari vltimò motivum, quod vi suæ bonitatis necessitet, signum est, quòd necessitas amoris mei, non pro-

veniat ab identitate mei mecum, tanquam à bonitate & motivo.

§17. Contra 3. Possum me amare magis quàm quemcunque alium: atqui ego non sum magis idem mecum, quàm quicunque alius est secum, nec mea Identitas est major bonitas, seu melior, quàm Identitas Petri secum: ergo ille excessus amoris non habet pro motivo identitatem: sed neque ad hunc excessum amoris mei ipsius supra alios, est opus præcognoscere in me aliam bonitatem, quia nullam possunt adversarij assignare (non enim vtiq; est necesse ad talem excessum amoris, vt me meliorem æstimem omnibus alijs) ergo possum me amare magis quàm alios, sine speciali motivo amandi me magis quàm alios: ergo etiam possum me simpliciter amare, sine præcognita bonitate motiva ad talem amorem.

§18. Responderunt ad hoc adversarij, disparitatem esse, & specialem rationem motivam amandi me super alios, in eo sitam esse, quòd licet identitas mei mecum secundum conceptum absolutum non sit melior identitate alterius secum, secundum conceptum tamen Relativum, hoc est, respectu mei, mihi illa magis bona sit, quàm mihi bona sit Identitas alterius secum.

Contra 1. Licet mea identitas mihi melior sit, quàm alterius identitas sit mihi bona, non tamen est magis bona mihi, quàm illius alterius identitas sit bona illi. ergo licet secundum datam responsionem possum me magis amare mihi, quàm alterum mihi, necdum tamen est reddita ratio, cur me possum magis amare mihi, quàm alterum illi.

§19. Contra 2. Ex data responsione sequitur, quòd nec Deum possum magis amare quàm me, quod est erroneum. Respondent negando sequelam & paritatem, quia Deus est mihi magis bonus, quàm ego mihi. Verùm hæc responsio non substat. Si enim ideo possum Deum magis amare quàm me, quia Deus est mihi magis bonus quàm ego mihi, sequitur, me necessitari ad amandum Deum magis quàm me. Probatur sequela. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: atqui necessitor ad me simpliciter amandum, quia mihi bonus sum: ergo necessitabor ad Deum magis amandum, quia mihi magis bonus est, quàm ego mihi. Sed hæc de re Philosophica incidenter. Redeundo nunc ad nostrum propositum:

§20. Notandum 6. Amorem Amicitiae propriè sumptum, ex parte objecti formalis plus dicere, quàm dicat amor Benevolentiae. Amicitia enim est mutuus amor, non latens, vt definit Aristoteles, adeoque fundatur in communicatione voluntaria bonorum & vitæ, sive, in voluntate sic communicandi: hoc est: amore amicitiae amamus alterum, quem cognoscimus habere voluntatem communicandi nobis in bonis suis, & ab hac voluntate movemur ad eum amandum amore amicitiae, quod pulchrè expressit S. Thomas q. 23. a. 1. in C. his verbis. Sed nec Benevo-

Hhh 2

lentia

lentia sufficit ad rationem amicitiae, sed requiritur quaedam mutua amatio, quia amicus est amico amicus: talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Ita S. Th.

531. Controversia est, utrum possit Deus amari amore Benevolentiae, hoc est, non habente pro objecto formali Deum, ut participabilem à nobis, sed praecise alia attributa Dei seu perfectiones divinas, ita ut propter bonitatem Sapientiae, Omnipotentiae &c. velit Deo ut fini CUI, alia bona extrinseca, illique placere, praecise omni reciproca bonorum supernaturalium communicatione, quae sit motivum formale parziale amoris; & an talis amor, si daretur, esset justificativus. Negarunt aliqui RR. contra quos ex communi aliorum sensu,

532. DICO, ad amorem Dei perfectum, & justificativum, non requiri ex parte motivi Participabilitatem Dei aeternam. Probatur quoad primum membrum. Potest homo constituere suam felicitatem in aliquo temporali bono, & quidem instantaneo, contempta felicitate aeterna, ut patet in peccatore: ergo etiam posset suam felicitatem constituere in hoc quod est: placere Deo in hoc instanti per liberam electionem aeternae separationis, propter ipsius bonitatem. Neque refert, quod talis amor praesupponeret errorem aut ignorantiam, eo quod Deo revera electio aeternae separationis non placeat, cum velit nostrum finem esse felicitatem aeternam. Non refert, inquam: Nam licet talis error interveniat, dictamen tamen proximum & practicum, fundatum in tali errore speculativo, quod Deo placeat talis electio, est evidens, nempe evidens est, esse honestum, eligere damnationem propter beneplacitum divinae bonitatis ita mihi apparens; sicut honeste operatur, qui religionem ingreditur, ad quam ex errore putat se esse vocatum.

Confirmatur. Potest homo suam voluntatem divinae voluntati conformare ex amore Dei in omni objecto quod Deo placet: ergo etiam in hoc quod est: Deum velle annihilare totum mundum: atqui tunc participabilitas non esset motivum parziale, ut patet, ergo &c.

Verum, quidquid sit de his actibus, pro Conclusionis prima parte satis est, me posse Deo velle bona, quaecunque Deus vult sibi esse à me voluta, propter illius intrinsecas & essentielles perfectiones, non habendo participabilitatem pro motivo. Potest enim quis contemplando pulchritudinem Dei, dignam judicare eandem amore superante amorem omnium aliarum pulchritudinum transitoriarum; quis hoc neget, cum experientia hoc clamer? atqui talis cognitio est essentialiter cognitio practica, & excitativa ad talem amorem: ergo est possibile amorem poni.

533. Probatur Conclusio quoad secundum membrum. Si talis actus amoris non sufficeret ad justificationem, deberet esse ratio, quia amor amicitiae est perfectior tali amore Benevolentiae: atqui non est perfectior. Ergo &c. Minor pro-

batur. Ille actus non est altero perfectior, qui non est ex motivo perfectiore, nec habet maiorem arduam, nam ex solis his capitibus conficit perfectio actus, ut etiam adversarij docent: sed amor amicitiae nec est ex motivo perfectiore, nec habet maiorem, imò minorem arduam, nam Participabilitas Dei faciliat amorem Dei, quia vehementer allicit. Minor quoad primum membrum etiam probatur. Nam Participabilitas non augeat perfectionem infinitam Dei cum nihil superadditum perfectioni essentiali Dei augere possit perfectionem.

534. Confirmatur. Ad honestatem amicitiae non est satis nos moveri à bonitate participabilitate, sed insuper requiritur nos esse moveri, quia Deo placet nos moveri à Participabilitate: sed sic jam non est perfectior amicitiae, quam amor benevolentiae: ergo &c. Minor probatur. Perfectio amoris amicitiae non habetur, quod habeat Deum pro fine CUI, attendat ejus placitum: sed hoc totum habet amor Benevolentiae, qui utique determinat remanentem etiam ad amandum Deum ut participabilem, si illi occurreret, Deo placere, ut amari. Ergo &c.

535. Probatur jam directè, quod Participabilitas non pertineat ad motivum amoris Dei. Participabilitas aliud non est, quam ipsa possibilitas Fruitionis Dei: sed haec non pertinet ad motivum amoris Dei: ergo nec Participabilitas. Minor probatur. In tantum ab amante Deum attenditur possibilitas Fruitionis Dei, in quantum ipsa Fruitio Dei ordinatur ab amante ad ipsam Deum, tanquam finem CUI: sed haec ratio non pertinet ad motivum amoris Dei: ergo &c. Major patet, nam participabilitas in tantum attenditur ab amico, in quantum vult amare amicum amore amicitiae, & omnia sua bona referre ad amicum; sed inter haec bona referenda in amicum, est ipsa Fruitio bonorum amici: ergo in tantum attenditur participabilitas, in quantum ipsa Fruitio amici refertur in amicum; quae omnia admittunt adversarij. Probatur ergo Minor. Possibilitas alicujus boni referendi ad amicum, tenet se ex parte finis, Qui, seu ex parte illius bonitatis, quam volumus communicare amico: sed quae tenent se hoc modo, non sunt motivum primum excitativum amoris: ergo participabilitas, quae est ejusmodi bonitas, ut ostendi, non pertinet ad motivum excitativum amoris.

Major declaratur in exemplo. Quando vult amico communicare divitias, etiam debet moveri à possibilitate divitiarum, sed haec possibilitas tenet se ex parte finis Qui, ut patet. Ergo &c.

536. Confirmatur 1. Sicut se habet motivum Odij ad odium, ita se habet motivum amoris ad amorem. sed motivum odij non constituitur per possibilitatem illius mali quod volumus illi quem odio habemus: ergo etiam motivum amoris non constituitur per possibilitatem illius boni, quod volumus communicare amico.

537. Confirmatur 2. Possibilitas fruitionis Dei, ut præcognita, ita movet ad volendam Deo ipsam fruitionem, ut tamen ipsa fruitio acquirenda aliquo modo, nempe in ratione finis, moveat ad amandam ipsam possibilitatem fruitionis: sed hoc ipso possibilitas fruitionis non habet rationem motivi excitantis amorem. Ergo &c. Major probatur. Nam possibilitas fruitionis secundum se non est amabilis, ita ut sistamus in illa, sed solum quia habet se instar medij necessarij præcognoscendi ad volendam ipsam fruitionem; sicut possibilitas sanitatis ad volendam sanitatem: ergo sicut sanitas acquirenda in ratione finis movet ad amandam possibilitatem sanitatis in ratione medij, ita fruitio in ratione finis movet ad amandam possibilitatem in ratione medij.

538. Confirmatur 3. Nulla possibilitas cuiuscunque boni est amabilis amore practico, nisi propter ipsam existentiam illius boni, tanquam propter finem: sed amor Dei debet esse practicus: ergo debet amare possibilitatem fruitionis propter ipsam existentiam fruitionis: sed illud quod amatur propter aliud, non potest habere rationem motivi primò excitantis ad amorem, ergo, &c.

CONTROVERSIA II.

Quare Bona extrinseca, quæ Deo volumus, non sint objecta specificativa Habitûs Charitatis.

539. Ratio dubitandi est, quia quando mihi volo bona diversa, tunc illa diversitas bonorum diversificat etiam virtutes quibus illa bona volo: hinc alius habitus & virtus est, quâ volo bonum Temperantiæ, alia virtus quâ volo bonum Justitiæ, Misericordiæ, &c. ergo etiam quando volo hæc bona Deo, volo illi per diversas virtutes, quod tamen ab omnibus negatur. Est ergo difficultas in assignanda disparitate.

540. Card. de Lugo hanc assignat disparitatem. Quando nobis volumus bona diversa, illa bona sunt motivum principale, & non præsupponunt bonitatem aliam ad quam referantur, & propter quam amentur, ut diximus Not. 5. at verò quando volumus bona Deo, ille amor præsupponit Deum ut amatum propter aliam bonitatem, quæ prius voluntatem à sua quiete moveat.

541. Contra hanc responsionem vrget Card. Pallavicinus. Quando amamus diversa bona amico terreno, v.g. Petro, tunc, licet etiam præsupponatur amor Petri propter bonitatem in Petro repertam, nihilominus cætera bona volumus illi per diversos habitus: nam ubi sunt superandæ diversæ difficultates, ibi opus est diversis habitibus: atqui pro diversitate bonorum quæ volumus velle amico, sunt superandæ diversæ difficultates: ergo non obstante bonitate præsuppositâ in amico, possunt requiri diversi habitus:

ergo hac ratione non salvatur, cur Charitas erga Deum non constet pluribus habitibus.

542. Ipse ergo Card. Pallavicinus n. 215. aliud discrimen dat his verbis. Ratio cur nos per vnicum habitum Charitatis velimus Deo omnia bona quantumvis diversa, & tamen non possumus varia bona velle nobis nisi per varios habitus, ea est, quia isti varij habitus, supposito etiam amore, quo afficimur erga nos ipsos, sunt vtiles ad nos determinandos, ut placeat nobis potius hoc bonum quàm illud: quæ determinatio habet pro motivo diversam speciem bonitatem ejusmodi bonorum, & superat diversam difficultatem, ad quam expugnandam inducitur diversus habitus. At Charitas, quâ Deum amamus, supponit jam quid Deo magis vel minus placeat, independentem ab vlla nostra determinatione: quocirca ad volendum Deo potius hoc objectum quàm illud ex charitate, non movemur à diversitate specifica ipsorum objectorum, sed ab vnico & vniuersali motivo, quod est; Major complacentia Dei. Ita Pallavicinus.

543. Hæc tamen doctrina, nisi aliter explicetur, quàm verba sonant, non videtur esse vera. Certum enim est 1. posse me ex Charitate erga Deum velle etiam aliquod objectum, quod comparatum cum alio minus placet Deo, nolendo illud, quod scio magis placere, quia non teneor ad volendum semper perfectissimum. v.g. possum amore Dei velle vivere castè in sæculo, quamvis sciam, magis placere Deo castitatem ex voto Religionis, quod est consilij. ergo falsum est, quòd vnicum motivum Charitatis sit, Major complacentia Dei.

544. Secundò, possunt excogitari duo objecta, quæ Deo æqualiter placent: vel certè me later, quodnam illorum Deo magis placeat, scio tamen vtrumque placere: v.g. possum scire, placere Deo Zelum, ex quo quis Episcopatum desiderat, & etiam placere humilitatem, ex quâ quis eum recusat, & tamen nescio, quodnam horum magis placeat, & cum non possum simul eligere vtrumque, possum tamen quodvis eorum eligere ex Charitate erga Deum. Idem est, si sint duo objecta, quæ quidem ambo simul eligere possem, sed non teneor, & volo tantum vnum eligere ex Charitate erga Deum: in istis casibus non moveor à majore Dei complacentia, neque hæc determinat mihi vnum objectum præ alio.

545. Tertiò, & à priori, impugnari potest Pall. argumento suo quod paulò antè fecit contra Lugonem. Quia circa bona quæ Deo volumus, non minus videntur diversæ difficultates superandæ, quàm circa bona quæ nobis vel amico terreno volumus, ut manifestum est: ergo adhuc opus erit diversis habitibus, nisi alia disparitas assignetur.

546. DICO itaque disparitatem esse hanc, quòd bona quæ volumus amico terreno, licet hic & nunc præsupponant aliam bonitatem in amico præexistentem, quæ excitet ad volenda

H h h ;

ill

illi alia ulteriora bona, hæc tamen ipsa bona talia sunt, quæ si illi superveniant, reddant illum magis amabilem, magisque bonum; & ex se sunt talia, ut si prius invenirentur in amico, possent voluntatem à sua quiete excitare primò ad amandum. at verò bona extrinseca quæ amamus Deo, sicut Deum non faciunt meliorem aut magis amabilem, ita etiam non sunt bona ex se excitativa voluntatis in quiete constitutæ ad amandum Deum. Itaque dicendum est, quòd habitus tantum multiplicentur pro diversitate bonorum, quæ possunt esse motiva primaria voluntatis allectiva ad amorem amicitia.

CONTROVERSIA III.

Utrum inter Deum & Hominem dari possit vera Amicitia.

547. **A**micitia definitur communiter ex Aristotele: *Mutua duprum benevolentia ipsos non latens.* Requiritur insuper, ut sit inter æquales, & fundetur in communicatione & convictu.

Dicendum est, inter Deum & homines intercedere posse veram amicitiam. Colligitur ex S. Scriptura. Judic. 8. *Abraham Dei amicus effectus est.* psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et Trid. sess. 6. c. 6. decernit, in justificatione fieri hominem ex inimico amicum.

548. Obijci potest primò. Non est nobis notum in hac vita, quòd amemur à Deo: ergo jam non datur mutuus amor non latens. 2. Dupliciter esse nobis notum nos amari à Deo. primò, conditionatè, si nos debito modo illum amemus. Secundò, etiam absolutè & probabiliter, eò quòd quis conetur, sicut est obligatus, procurare, ut saltem probabiliter sit in gratia Dei.

549. Obijci potest 2. Auctoritas Aristotelis lib. 8. eth. c. 7. & lib. 2. Moral. c. 11. qui negat amicitiam inter Deum & hominem, quia deficit conditio æqualitatis. Pro responsione notandum est, duplicem posse considerari æqualitatem; alia est æqualitas Naturæ, alia æqualitas Dignationis; inde duplex etiam est amicitia, alia vulgaris, alia supereminentiæ. Quamvis ergo inter DEUM & hominem non possit esse amicitia vulgaris, quæ est inter illos qui sunt paris conditionis, est tamen amicitia supereminentiæ, quæ fundatur in æqualitate dignationis, hoc est, quando supereminentior dignatur se demittere ad amandum benevolè inferiorem; & hanc amicitiam inter Deum & hominem agnoscit etiam Aristoteles 10. eth. c. 8. & alibi. Accedit, quòd in statu Elevationis homo per Gratiâ participet Naturam divinam, ut in tract. de Gratiâ explicatum est, & sic participativè fiat aliquo modo capax donorum quæ sunt propria Filij Dei.

550. Obijci potest 3. Servus dum est servus, non potest esse amicus Domini sui: atqui

homo est essentialiter servus Dei: ergo non potest illi esse amicus. 2. Disting. Ma. non potest esse amicus secluso favore indebito, & amicitia vulgaris, concedo, non potest esse per se amicus & amicitia supereminentiæ, nego: talem enim agnoscit etiam Aristoteles inter Regem & subditum. Ulterius, si servitus hominis erga hominem repugnat cum amicitia, id provenit ex speciali ratione talis servitutis, nempe quòd nemo possit sibi acquirere, & per consequens, non beat communicationem bonorum & vitæ cum Domino. At verò Servitus, quæ homini erga Deum est essentialis, non consistit in alioquin in suprema potestate Dei, disponendi de creatura pro libitu: cum hoc autem bene fiat, velle illi bene, & nolle uti sua potestate nisi in bonum hominis.

551. Obijciatur 4. & præcipue. Deus non potest hominem amare amore benevolentia, ita ut homo sit finis CVI: ergo non datur reciprocus amor benevolentia. Antecedens probatur. Deus non vult bonum hominis, quia bonum illius est, sed totum quod vult homini, refert Deus ad seipsum tanquam ad finem CUI. Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatur Dominus.* Apocal. 1. dicitur Deus Alpha & Omega, Principium & Finis.

552. Respondent aliqui cum Suarez, non esse necessarium, ad salvandum conceptum proprium amicitia, ut Deus amet nos sicut seipsum in nobis tanquam in fine CUI: Sed satis esse, si nobis velit, quæ videt nobis esse bona. Verum hæc non tam est respondere objectioni, quam illud, ut advertit Lugo & Ripalda: est enim ipsa negare veram amicitiam Dei erga nos; nam Amor amicitia per hoc differt ab amore Conspicentiæ, quòd alterum habet pro fine CUI.

553. Respondendum igitur est, hæc duo non pugnare inter se, nempe, quòd Deus velit nobis bona, tum quia nos esse bonos cedit in gloriam illius, tum quia illa bona sunt nobis bona, adeoque & Deum & hominem esse finem CUI. Imò si res attentè consideretur, hoc ipsum quod est: nos amari à Deo ut finem CUI: servituti explicandum, quomodo Deus sit finis primus & præcipuus CVI omnium quæ vult. Pro quo

554. Adverto 1. Deum necessitari quidem ex comprehensione suæ Perfectionis ad gratitudinem de sua essentiali felicitate; sed tamen esse liberum ad utrumlibet ex his duobus: esse sibi felix: vel esse felicem cum alijs, communicando alijs suam felicitatem, mediante cognitione & amore sui, quia alterutrum horum erat necessarium eligendum, sunt enim opposita contradictoria: ideo quidquid Deus elegerit, illud pertinet ad illud genus felicitatis quod Deus defacto non opposito elegit: atqui defacto elegit esse felix non solus, sed cum alijs: ergo nostra felicitas pertinet ad constituendum illud genus felicitatis, quod Deus defacto elegit: cum ergo ad hanc electionem fuerit motus à sua bonitate & felicitate, jam

apparet, quomodo ipse sit finis CUI, & quidem primus ac præcipuus: nam Bonitas Dei est illa, quæ primò excitat (nostro concipiendi modo) voluntatem divinam, ut post Lugonem notat Palavicinus.

555. Adverto 2. Deum non magis felicem esse per hoc, quod potius elegerit existentiam creaturarum, quam si elegeret negationem earundem. Tota enim felicitas Dei quam potest habere in ordine ad objecta volita, consistit in hoc, quod obtineat, quod sibi magis placet, sive illud in se sit physicè perfectius altero, sive imperfectius: adeoque, quod Deus defacto elegerit potius existentiam nostram, quam non existentiam, est quidem majus bonum nostrum, non autem est majus bonum Dei.

556. Adverto 3. Hoc nostrum bonum, quod Deus nobis vult, licet physicè loquendo non sit bonum Dei, utpote extra Deum, fieri tamen bonum Dei mediante amore benevolentiae erga nos: dum scilicet Deus gaudet de hoc, quod nobis sit bene: nam, ut supra diximus, per amorem Benevolentiae sunt bona amati bona amanti. Ex hoc ergo amore benevolentiae optimè declaratur, quomodo Deus omnia, etiam illa quæ vult homini ut fini CUI propter semetipsum operatus sit.

557. Objici solet 5. Vel Deus à bonitate creata ut bona nobis ita moveretur, ut bonitas creata habeat rationem motivi adæquati & secundum se sufficientis, vel tantum ut habet rationem motivi partialis: neutrum videtur posse dici. non primum, quia videtur involvere contradictionem; non secundum, quia sic non amaret nos Deus vero amore amicitiae, nam amicus ita debet velle bonum amici, ut illud vellet, etiam si nihil conducere ad proprium commodum.

558. R. Bona quæ Deus vult suis amicis, esse duplicis generis. Vel enim sunt talia, quæ Deus non amaret ullo modo propter semetipsum, nisi illa nobis bona essent, adeoque quæ in tantum conducunt ad gloriam Dei, in quantum nobis bona sunt; & de his clarum est, esse motivum sufficientem, & quæ Deus nobis volendo facit bona sua. Vel sunt talia bona, quæ etiam secluso commodo quod nobis afferunt, habent hoc, ut conducant alio modo ad gloriam Dei: & de his procedit objectio. Ad quam Respondetur, illa bona habere rationem motivi adæquati, hoc sensu: nempe ita Deus illa nobis vult quia nobis bona sunt, ut si per impossibile non haberent illam aliam specialem conducentiam ad Gloriam Dei, adhuc ea nobis vellet, & sic volendo referret in Gloriam suam.

559. Objicitur ultimò S. Thomas 1. p. q. 19. a. 1. ad 3. & ar. 2. ad 2. qui dicit, Bonitatem Dei esse vnicum motivum, & adæquatum divinæ voluntatis. Deinde objicitur S. Augustinus, qui in libris de doctrina Christiana dicit, Deum non frui creaturis, sed tantum uti. R. S. Thomam clarè loqui de objecto formali, quo Deus primò move-

tur ad amorem tam sui quam aliorum, hoc enim non potest esse aliud quam ipsa Dei bonitas, hæc enim sola existebat ante creaturas. Ad S. Augustinum R. Deum non frui creaturis eo sensu, quod nos dicimur frui Deo amando illum, quia, creaturæ non sunt bona tribuentia Deo felicitatem, sicut bona Dei nos faciunt beatos & felices.

CONTROVERSIA IV.

An Habitus Charitatis augeatur per actus quantumvis remissos.

560. PERTINERET hæc Quæstio ad Tractatum de Gratia, nam augmentum Charitatis procedit pari passu cum augmento Gratiae habitualis. Sed quia Theologi communiter omnes cum S. Thoma q. 24. eam hoc loco tractant, non erat ab his recedendum.

Conveniunt Theologi primò, Habitum Charitatis sicut & Gratiam, posse magis & magis augeri intensivè, quomodocunque fiat hæc intensio, quod ad Philosophos spectat.

Conveniunt 2. Defacto augeri habitum per actus Charitatis intensiores ipso habitu: & quidem posse à nobis elici actus intensiores, quam sit intensio ipsius habitus, supponunt communiter omnes: si enim etiam sine habitu potest homo excitatus divino auxilio elicere actum intensiorem vel remissiorem, poterit etiam elicere præsentem habitu, quia Deus supplebit defectum habitus quoad excessum intensificationis.

561. Controversia est, an Habitus possit intendi actibus æquè vel minùs intensis Habitu.

Prima Sententia negat actibus remissioribus, vel æquè intensis nos mereri augmentum Habitùs & Gratiae, sed fortasse solum aliquod præmium accidentale; vel ad summum mereri quidem augmentum Gratiae, quod tamen non consequimur nisi quando elicimus actus intensiores, & tunc illa Gratia datur duplici titulo. Ita sentit Altissiodorensis, quem secutus est Bannez, acerrimus propugnator hujus sententiae, quam aliqui graviore censurâ notaverant.

562. Secunda Sententia concedit quidem, tales actus mereri augmentum, sed negat illud conferri in via, donec homo per actum intensiorem se disponat: quod si se non disponit, vult, illud conferri primum in termino viæ. Ita videtur sensisse Cajetanum, & alij quidam Thomistæ secuti S. Thomam 22. q. 24. a. 6. ad 1. dicentem, quod quilibet actus Charitatis meretur Charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum.

Tertia Sententia est, illud augmentum dari primum in ingressu Beatitudinis. Ita Scotus, quem secutus est Alvarez.

Quarta Sententia distinguit inter Habitum Gratiae, & Charitatis: augmentum Gratiae vult statim dari, quando elicitur actus, quantumvis remissus;

missus; Augmentum verò Charitatis postea. Ita videntur sentire Victoria & Vega, nec multum dissentit Sotus.

§63. DICO 1. Quantumvis actus sit remissus, meretur Augmentum Gratiae sanctificantis. Ita Theologi communiter contra M. Bannez, cuius sententiam aliqui gravi censurâ notarunt. Medina existimat esse contra fidem, Zumel ait esse malè consonam fidei; & teste Lugone fuit communi decreto Salmanticensis Academiae (vbi eam Bannez docuerat) reprobata. Abstrahendo à censuris

Probatur Conclusio primò ex S. Scriptura, vbi sæpè sapius omnibus bonis operibus indifferenter merces aeterna promittitur. ad Rom. 2. *Deus reddet unicuique secundum opera sua.* 1. Cor. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* 2. Cor. 4. *id quod in presenti momentaneum est & leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Matth. 10. *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.*

Probatur 2. Autoritate Concilij Tridentini sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit, hominis iustificationi bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum, cuius membrum vivum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, & ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam Gloriam augmentum anathema sit.* Vnde subsumitur: vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: atqui canon iste non distinguit inter opera magis aut minus intensa habitu: ergo nec Theologi distinguere debent, sed universum de omnibus ita sentire.

§64. Hinc autem colligitur primò, per huiusmodi actus nos non mereri tantummodo novum primum accidentale, ut quidam dixerunt, nam Concilium loquitur de vita aeterna ejusque augmento. Colligitur 2. huiusmodi actus mereri augmentum reale, & non præcisè priorem gratiam novo titulo, ut volebat Bannez; nam Tridentinum dicit, augeri taliter, qualiter augeri postulat Ecclesia, cum dicit: *da nobis Fidei, Spei & Charitatis augmentum.* Atqui Ecclesia petit augmentum reale, & non merum novum titulum. Sanè, ut notavit Suarez, hoc effugio adversarij agnoscunt meritum de solo titulo, & præbent ansam dicendi, nec Sacramenta realiter augere Gratiam, sed merum titulum.

§65. Probatur 3. Ex absurdis. Nam ex opposita sententia sequitur 1. Ex duobus iustis habentibus Gratiam ut 6. si vnus moriatur, alter autem supervivat plurimis annis, & eliciat frequentissimos actus amoris, sed non ultra intensiorem ut 6. non futurum hunc substantialiter beatiorum altero. Sequitur 2. Eundem actum

Charitatis non plus valiturum ad merendum, continetur per integrum diem, quam si per vnicum instant. Sequitur 3. Communiorem gratiam, regulariter enim non eliciunt actus intensiores omnibus illis, quos vnquam in vita eliciunt. Haec omnia sunt contra sensum communem.

§66. Probatur 5. A priori. Ad meritum ratione remissionis nullam involuit culpam ex objecto verò est honestus, alioquin nequaquam mereretur, quando est habitus remissior: ergo placet Deo: ergo movet ad præmiandum: omnis enim laudabilitas est digna præmio.

Probatur 6. Iterum a priori. Habitus supernaturales non augentur ab actibus per se physicis, sed moralem, hoc est, meritoriam, patet ex eo, quòd actus vnus virtutis augens habitum aliarum virtutum: ergo nihil obstat, quòd actus remissus possit augere suum habitum jam antè intensiorem.

§67. DICO 2. Præmium quod meretur actus remissior, statim confertur, cum sit actus. In hoc puncto deferitur communiter S. Thomas extra scholam Thomistarum. Probatur Conclusio. Si præmium non conferreretur statim, hoc ideo fieret, quia expectaretur aliqua Condicio, quâ posita primum conferreretur: sed nulla talis conditio potest cum fundamento assignari, à qua esset, non debuisset illam Tridentinum iudicare, quandoquidem tam discretè expressit conditionem requisitam ad consecutionem gloriae scilicet, *si in gratia decesserit*; nullam verò ad consecutionem Gratiae, ut patet ex can. 24. cit. Quid autem adversarij sine fundamento conditionem requirant, jam patebit.

§68. Primò ergo dicunt aliqui, tam totum primum dari, quando elicitur actus intensior. Sed contra primò. Quid si nullus amplius intensior actus eliciatur? Contra 2. In illo casu secundum adversarios datur augmentum iuxta casum intensiōis actus, & daretur etiam nulla remissior actus præcessisset: quid ergo laici habet homo ex præcedente actu remissiore?

§69. Secundò dicunt aliqui, illam dari tempore mortis. Sed contra, quia si tunc potest dari sine dispositione physica aequalis intensiōis, quidni etiam ante mortem?

Tertiò dicunt alij, dari in ingressu Patriae. Sed contra, quia, ut bene argumentatur Lugone, tunc non est status crescendi in Gratia, sed accipiendi gloriam proportionatam Scatui vitae: præterea nullus est in patria assignabilis actus, qui pro priori naturæ disponat ad augmentum Gratiae.

§70. Obijciunt 1. Habitus naturales non augentur per actus remissos: ergo nec habitus supernaturales. 2. Falsum antecedens, mala consequentia. Falsum antecedens, quia probabilius est, illos augeri etiam physicè per actus remissiores, qui sunt causa æquivoca. præterea habitus nil aliud sunt, quam specierum coordinationes, cum negatione specierum contrariarum, ut

mihi verius est. Sed : Esto antecedens, Negatur consequentia. Nam, ut jam dixi, habitus supernaturales non augentur ab actibus tanquam à causa physica, sed tanquam à causa Meritoria.

571. Obijciunt 2. Congruum videtur, ut is qui negligenter & remissè utitur donis acceptis, non premietur de novo. R. 1. Hoc argumentum & nimium, & nimis parum probare. Nimium probat, quia probat, ne quidem postea talem actum esse premiandum. Nimis parum probat, quia non probat de actibus aequaliter intensis : talis enim actus non fit cum negligentia, & tamen aduersarij idem affirmant de his, quod de remissis actibus. R. 2. Remissus operari non esse culpam, quando intentio non est sub præcepto. Adde etiam in sanctissimis viris frequenter non præcedere tantam illuminationem, quæ sufficiat ad eliciendum intensiorem actum : ergo tunc nulla est culpa.

572. Obijciunt 3. Quando Deus infundit primam Gratiā, non dat illam supra mensuram intentionis quam habeat dispositio : ergo idem dicendum est, quando dat augmentum Gratiæ. Respondetur concedendo totum in sensu legitimo : nempe augmentum Gratiæ secundum se spectatum, non debet esse majus quam sit gradus dispositionis : bene tamen potest augere Gratiā cum præexistente Gratiā : sicut qui habenti 90. fl. solvit decem quos debet, non dicitur solvisse plus quam debebat, eo quod adjectione decem florenorum fecerit ut alter haberet centum, cum tamen non debuerit centum.

573. Posset quis obijcere 4. ex nostra doctrina sequi augmentum Gratiæ in infinitum, quando actus durat per quadrantem, nam in quadrante dantur actus proportionales in infinitum. R. eandem difficultatem esse, si præmium detur in altera vita, sicut & de pœna. Nascitur autem difficultas ex difficultate Continui, & insuper etiam ex eo, quod quis actus Virtutum habeat sub se possibiles imperfectiores & imperfectiores actus infinitos, quos omnes debet excedere in præmio : ergo debet illius præmium esse infinitum. Sit ergo de hac difficultate,

CONTROVERSIA V.

An per Durationem Actus augeatur Habitus Charitatis & Gratiæ.

574. GRavis est difficultas in explicando, quomodo augeatur Gratiā & Habitus Charitatis per durationem Meritoriam actus honesti quem liberè conseruo. Nam talis duratio est utique laudabilis, & laudabilior est ille qui Deum amat per horam, quam qui tantum per quadrantem, ceteris paribus ; & hoc verum est siue actus intentionales sint Fluentes, siue permanentes ;

Nam saltem exercitium longioris durationis metetur novum præmium.

575. Est igitur communis & vera sententia apud Suarez lib. 12. de Grat. c. 21. contra M. Banez, per durationem actus, si quidem sit libera, augeri præmium illi respondens, sicut etiam durationi actus peccaminosi respondet Nova & Major pœna.

In hoc tamen augmento explicando laborant Theologi, pressi communi difficultate Continui fluentis seu temporis.

576. Supponendum est, Triplicem principalem circumferri sententiam circa compositionem hujus Continui. Prima est Aristotelis, componentis tempus ex partibus divisibilibus in infinitum. Qui sequuntur Aristotelem, differunt inter se, quod aliqui præter partes admittant instantia realiter distincta à partibus, & quidem infinita ; alij verò negant hujusmodi instantia. Secunda Sententia est Zenonis, componentis tempus ex meris indivisibilibus realiter infinitis : quæ sententia est hodie satis deserta. Tertia quorundā RR. volentium pro se explicare Aristotelem, est, quæ tempus componit ex meris indivisibilibus, sed Finitis : sed inter se etiam differunt, quod aliqui hæc indivisibilia dicant habere virtutalem extensionem & æquivalentiam plurium indivisibilium in infinitum : de quo videri potest P. Sylvester Maurus in sua phys. q. 40. alij autem hanc virtutalem extensionem indivisibilium admittant quidem in Continuo permanente, negent verò in fluente. Hæc Tertia Sententia quamvis declinet incommoda quæ patitur sententia Aristotelis, nihilominus in præsentem etiam graviter vexatur. Nam quivis actus Meritorius in sua perfectione talis est, ut infra illum sint possibiles imperfectiores & imperfectiores in infinitum, quin unquam perveniat ad imperfectissimum, qui tamen singuli si existerent, essent laudabiles & meritorij ; Ergo ad minimum deberet vni respondere unum indivisibile Gratiæ, quia minus dari non potest : ergo perfectiori debet plus dari : ergo ad minimum duo indivisibilia : ergo actui qui est perfectior infinitis inferioribus, quorum iterum unusquisque habet alium imò infinitos imperfectiores infra se, debent pro præmio assignari infinita indivisibilia. atqui hæc sententia non admittit infinita indivisibilia : ergo tantum darentur finita : ergo vel aliquis gradus perfectionis illius actus non haberet correspondens præmium ; vel unum indivisibile redderetur pro pluribus gradibus ; & sic in effectu actus perfectior plus non consequeretur, quam actus imperfectior, quæ omnia sunt absurda.

577. Verum quia nostri instituti non est determinare quamnam ex his sententijs philosophicis sit vera, ideo conabimur ostendere, quantum res ipsa patitur, quomodo juxta singulas sit in præ-

fenti puncto procedendum; & ita quidem ut nulla Theologica difficultas remaneat, sed tota remaneat penes philosophos, solvenda in quovis Continuo naturali.

578. Prima Sententia quorundam fuit, omnem actum nostrum necessarium durare per aliquod Tempus determinatum, quod vocant minimum physicum: quia ergo non dantur in hora minima physica nisi finita, ideo non posse nisi finita exercitia nova libertatis dari, & sic non esse opus admittere augmentum infinitum.

Hæc sententia habet difficultatem in Angelis, qui possunt à suis actibus desistere ad libitum, quovis tempore assignabili; cognoscunt enim continuo motum cessandi.

579. Secunda Sententia est, nullum actum posse durare per merum instans, sed debere necessarium durare per tempus aliquod indeterminatum sumptum. Ita Vasquez, quem latè impugnat Suarez à n. 8.

Tertia est P. Suarez, Conink & aliorum, facientium discrimen inter primum instans, & cætera. (nam hi admittunt instantia distincta realiter à partibus) in primo instanti, ajunt, ponitur substantia actus, cui respondet magnum præmium: in alijs verò instantibus additur solum circumstantia durationis, quæ licet augeat meritum, non tamen in ea quantitate quæ respondebat primo instanti, sed ita ut commensuretur cum partibus temporis, pro cujus successione successivè augetur.

Contra hanc Sententiam est. Singulis instantibus exercetur nova libertas: ergo est novum meritum: ergo Deus videt quantum præmij accrescat singulis instantibus: ergo si instantia sunt infinita, adhuc sequitur augmentum Gratia infinitum, & quidem æquale vni parti determinatæ, nempe ad minimum æquale illi determinatæ Gratia, quæ correspondet ultimo instanti terminativo, quo ille actus fuit terminatus: Ergo difficultas non solvitur ex eo, quod minus præmij detur pro conservatione, quam pro prima productione. Omisissis ergo his responsionibus,

580. DICO 1. Qui admittunt modum definendi tam intrinsecum quam extrinsecum in actibus intentionalibus, possunt ad præsentem difficultatem respondere, concedendo, quod quando quis elicit actum meritorium, eumque continuat, detur præmium determinatum pro primo instanti; Negando tamen, dari præmium determinatum pro singulis instantibus sequentibus seorsim consideratis. Declaratur. Licet actus ille sit formaliter liber in singulis instantibus, datur tamen aliqua necessitas in illo actu durandi per infinita instantia, posito quod post primum instans conservetur; necessitas, inquam confusa & indeterminata; hoc ipso enim quod continuetur post

primum instans, continuatur per aliquod tempus nam post instans (secundum hanc philosophiam) sequitur pars temporis divisibilis in infinitum, adeoque continens indivisibilia copulativa finita. posito ergo quod actus continuetur per tempus instans, jam durat necessarium per tempus constans infinitis instantibus copulativa. Ergo propter hanc necessitatis speciem, dici potest non respondere præmium determinatum singulis instantibus, & contradistinctum à præmio correspondente cæteris instantibus, ac ipsi parti temporis.

581. Objici potest. Actus meritorius durans v. g. per horam, & desinens intrinsecum instanti terminativo horæ, minus meretur, quam actus durans per horam & simul etiam per instanti terminativum horæ: ergo instanti illi respondet Gratia determinata; ergo etiam in instantibus copulativis talis respondebit, cum præmio pejoris conditionis. Respondet P. Siles, negando, præmium posterioris actus fore majus præmio prioris; quia illud indivisibile in modum pro nihilo reputatur, & quia alioquin sequeretur præmium infinitum. Aliter respondet Lugo, concedit fore præmium majus posterioris actus, negat tamen inde sequi præmium infinitum, quod declarat hoc modo. Licet singula instantia post primum instans habeant solum vim incompletam ad merendum, hoc est, ad merendum simul cum alijs & partialiter, partialitate causæ, adhuc dici possent, singula instantia habere hanc vim, ut si sint terminativa, exigant ut detur præmium cum ipso instanti majus præmio aliquod indeterminatum, quàm daretur parti sine illo instanti, relinquendo liberæ determinationi de quoad quantitatem illius præmij. neque enim repugnat talis modus exigentiæ, obligantiæ ad quid indeterminatum, ita ut in executione nunquam possit satisfieri huic debito, quia admittitur liberalitas ultra debitum. v. g. Si Deus promitteret non punire aliquem penâ æternâ, nunquam posset Deus satisfacere debito hujus promissionis, quia misceret novam liberalitatem: nam quodcumque cessaret à punitione, ita cessaret, ut et si suæ promissionis non teneretur tam citò cessare, sed posset eâ salvâ ulterius punire. Item in prædicta materia & sententia philosophica, quam in præfati supponimus, si alicui præcipiatur continere actum bonum post primum instans, non potest præcisè satisfacere huic præcepto, quia addatur quid non debitum ex præcepto: nam quocumque tempore daret actus post primum instans, potest minus durare, & satisfacere præcepto. Nunc ergo repugnat dari debitum ad aliquid indeterminatum, cui debito non possit satisfieri sine nova liberalitate non debita: sic ergo dici posset, instans terminativum actus boni exigere aliquod præmium indeterminatum, cujus determinatio pendeat ex liberalitate Dei, quâ det plus quàm tenetur vi illius meriti. Quod si hæc tibi videatur

adhuc difficilia, imputa Sententia philosophica, componentem tempus ex partibus & instantibus.

§82. DICO 2. In Sententia eorum, qui docent actus nostros non posse definire intrinsece in instanti (prout Aristoteles sensisse videtur), ut bene advertit Pallav. ex infinitate instantium non probatur infinitum augmentum Gratia & Charitatis. Ratio est, quia nullum premium responderet instanti per se accepto, nisi primo instanti inceptions, propter specialem difficultatem quam habet principium in quovis opere, & quia alioquin posset in illo instanti coexistere Gratia peccato, quando elicitur actus Contritionis. Ceteris vero instantibus non respondet vllum premium, nisi illud quod responderet partibus, quia cum actus non possit in illis definire, consequens est, non exerceri in illis distinctam libertatem.

§83. DICO 3. In sententia negante Indivisibilia realiter superaddita partibus, dicendum est, quod sicut partes temporis sunt divisibiles in infinitum in partes proportionales, ita & augmentum Gratia; & sicut in hac philosophia parva quantitas non habet pauciores partes proportionales quam major, adeoque secundum hanc proportionem potest commensurari vnus palmus centum palmis, ita posset actui duranti per horam, dari minor gratia, quam actui duranti per centum horas, licet etiam illa habeat partes proportionales non pauciores quam posterior, & sic in augmento Gratia non aliter sequitur infinitum, quam defecto reperitur in intensione caloris, adeoque in hac sententia non remanet difficultas Theologica, sed sola Philosophica.

§84. Restat nunc videndum circa sententiam componentem tempus ex meris instantibus, sed finitis (sive ea sint virtualiter divisibilia, sive non) In hac sententia nulla est difficultas evitandi augmentum Gratia infinitum precise vi durationis. Cum enim omnis actus durer tantummodo certis instantibus finiti numeri, & pro quovis instanti detur etiam certus numerus finitus indivisibilium Gratia, finitum autem additum finito non faciat infinitum, sequitur illud augmentum fore finitum.

§85. Nihilominus contra hanc sententiam (quam prosteritur P. Herize, & teste Lyncao celebres Philosophi, & teste Card. de Lugo eam docent communiter hodie nostri Theologi Salmantenses, ac nunc post P. Maurum R.R. plurimi) vrget difficultas supra posita, quae procedit de quovis actu meritorio, etiam si tantum per vnicum instans duraret.

§86. DICO 4. In hac sententia supponendum est, non omnem excessum Gratia consistere in excessu Intensionis, sed aliquando vnam gratiam excedi ab alia in perfectione Entitativa. Sicut enim Visiones Beatorum aliquando sunt inaequales solum secundum intensionem (si verum est, quod in actibus Intentionalibus de-

tur vera intensio) aliquando secundum Entitativam perfectionem, per quam vna extenditur ad plura objecta secundaria quam altera, & penetrat illa melius, ita in presenti dicendum est, Gratiarum inaequalitatem aliquando quidem consistere in inaequalitate intensionis, aliquando vero in diversa entitativa perfectione, propter quam hac numero Gratia est Radix Visionis melius penetrantis objectum primum, in ordine ad cognoscenda objecta vel plura vel perfectiora secundaria. Hoc supposito

§87. Facile explicatur, quomodo ad praemiandum certum & determinatum actum meritorium, supra infinitos quos habet possibiles infra se, non sit necesse dare infinita indivisibilia Gratia. Sicut enim Vna indivisibilis entitas actus meritorij aequivaleret imperfectioribus actibus finitis in infinitum, & sicut hoc objectum secundarium, v. g. Leo, aequivaleret imperfectioribus in infinitum, ita etiam vnum indivisibile huius determinatae Gratia aequivaleret imperfectioribus Gratia finitis in infinitum: quare jam praemiabitur hic numero actus supra inferiores per vnum etiam indivisibile Gratia perfectioris.

§88. Praeterea ad evitandam etiam immensam multiplicationem indivisibilium Gratia, non est necessarium, ut quoties sive pro duratione maiore, sive ex alio capite augetur meritum, augetur intensio Gratia, sed potest subrogari loco Gratia praecedentis, alia Gratia perfectior quoad entitativam, & sic jam excedit Gratiam praecedentem. Videatur Lugo de Incarn. d. 6. l. 2.

Dicit aliquis, hanc doctrinam de Inaequalitate Perfectionis esse excogitatum sine fundamento, contra communem sensum in scholis receptum.

§89. Responderi potest primo. Si praesens difficultas de augmento Gratia non potest commodè explicari, nisi supponendo hanc doctrinam, quae nullum inconueniens secum trahit, hoc ipsum est sufficiens fundamentum ad eam asserendam.

Responderi potest 2. Independentè à praesenti difficultate videri admittendam esse illam inaequalitatem substantialem Gratia; cuius rationem à priori reddit Card. Pallavicinus n. 321. his verbis. Verius censendum est, sicut actus meritorij sunt Heterogenei inter se, ita etiam premia esse Heterogenea, atque adeo partes Gratia habitualis non differre tantummodo secundum magis & minus, sed secundum perfectionem entitativam. Ratio à priori est, quia vbi res, quae compensantur, habent inaequalem perfectionem specificam vel entitativam, non possunt compensari per compensationes Homogeneas, quandoquidem perfectio vnius Speciei non potest esse talis, ut per suam solam multiplicationem omnino exaequet perfectionem omnium Specierum superiorum, & omnem multiplicationem in singulis earum. Et quamvis in commercio humano pecunia sit compen-

compensatio homogenea omnium mercium Specie differentium & inæqualium, id tamen provenit partim ex inopia, partim ex ignorantia humana, ratione quarum etiam commutantur inter se merces diversæ rationis, quas certum est, ferè nunquam esse omnino pares in æstimabilitate. At respectu Retributoris Potentissimi & Sapientissimi, qualis est Deus, debent omnia Merita diversæ rationis habere præmium quoque diversæ rationis; & idem dicendum est de demeritorum pœna, atque adeo de cruciatibus Purgatorij, vel Inferni.

Confirmatur autoritate S. Thomæ 3. p. 2. q. 7. a. 11. ad. 3. ubi cum posuisset Gratiâ Christi finitam esse, negat tamen eam posse adæquari per augmentum Gratiæ Habitualis alterius hominis, quia sunt diversæ rationis: unde sicut Virtus ignis quantumcunque crescat, non potest adæquare virtutem solis, ita Gratiâ alterius hominis quantumcunque crescat, non potest adæquare Gratiâ Christi.

CONTROVERSIA VI.

Quis Ordo Charitatis servandus sit inter se & proximum.

590. **C**ontingit, ut plurimum necessitas concurrat, quibus seorsim sumptis obligatus es- ses subvenire, simul autem omnibus succurrere non potes. Contingit item, ut necessitati alienæ subvenire non possis, nisi cum damno tuo, vel in bonis ejusdem rationis cum ijs, in quibus proximus necessitatem patitur, vel in bonis diversis; & tunc plures quæstiones practicæ emergunt, quis ordo Charitatis servandus sit, tum inter nos & proximum, tum inter ipsos proximos ad invicem comparatos, hoc est, cuinam præ altero succurrendum sit, si omnibus succurri non potest; vel qualem damnum subire tenearis, ut proximo in necessitate succurras. Nunc de ordine inter nos & proximum dicamus. Semper autem in præsentī materia distinguendum est inter rō Licet fieri, & ex obligatione fieri. Sæpè enim licet nos proximo, aut proximum nobis præferimus, neque tamen id ex obligatione facimus.

591. Quæritur ergo 1. Quis ordo servandus sit inter nos & proximos quoad bona spiritualia. R. 1. Gratiâ Dei & Gloriam æternam propriam, semper obligaris tibi procurare, & velle potius quam proximo. Matth. 16. Quid prodest homini, si universum, &c. Unde, quando aliqui Sancti videntur carentiam Gloriæ, aut æternam etiam damnationem propriam, pro salute proximi exoptasse, vel id fecerunt ex amore Dei, & desiderio majoris divinæ gloriæ, præcindendo à culpa propria; Vel per quandam exaggerationem. R. 2. Boni Spiritualis proprii, sub nulla obliga-

tione positi, jacturam, licet subire potes pro spirituali & etiam temporali proximo, & pro juvandis parentibus potes differre angustias Religionis.

592. Quæritur 2. Quis ordo servandus sit inter nos temporalibus, præsertim vitæ, (nā de bonis fortunæ dicemus agentes de Eleemolynâ.) R. 1. Propriæ vitæ periculum & jacturam subire carnis communitas, cujus tu membrum es, in necessitate constituta est, & jactura tui non est tam gravis ac jactura cæterorum. Quia bonum servatum est communi posthabendum. Idem dicendum est, si periclitetur persona necessitatis publicæ. Si verò minor est necessitas Republicæ, non teneris; esset enim lex taliter obsequi nimis acerba, & spectatâ humanâ conditione moraliter inobservabilis. R. 2. Privati potes periclitanti, vel etiam magis, non teneris subvenire cum probabili periculo propriæ vitæ: Licet tamen potes, si cætera sint paria, hoc est, si jactura non sit notabiliter magis perniciosa Republicæ, vel alijs, quibus adhuc necessarius es: neque ad hoc videtur esse opus speciali aliqui cussâ, ut amicitia, gratitudinis, &c. ut vultur Val. Palao, sed sufficit generalis ratio proximi, tradunt I. essius & Conink: & hoc ex regula generali Honestatis, traditâ lib. 2. Quia talis licet plus boni affert, quam mali. Quandoque tamen tenearis defendere proximum, cum læsione horius proximi, videatur Lugo. *disq.* 10. de just. l. n. 205. ubi tamen adverte, aliquid ab hoc auctore gloriari, quod ab eodem auctore n. 208. negatur, quia prior numero subintelligenda videtur pars. Quodque.

593. Quæritur 3. Quis ordo servandus in bonis diversis generis & ordinis. Pro responsione notandum est, triplicem esse necessitatem, Levem, Gravem, & Extremam. Levis, vel gravis est, quam sine tuo auxilio, non nisi levi vel gravi conatu potest proximus superare: Extrema, quam moraliter est impossibile, sine tuo auxilio superare. Hoc posito R. ad Quæsitum. 1. Nos obligari te ad subveniendum necessitati spirituali proximi, cum jactura tuorum bonorum temporalium, nisi moraliter certò constet, tuo auxilio opus esse, & illud profuturum. R. 2. Te obligatum esse salutem spirituales proximi omnibus tuis bonis temporalibus fortunæ & corporis, adeoque & vitæ, præferre, si necessitas sit extrema. Nam Christus Jo. 14. dicit. Hoc est preceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexisti me. Jo. 3. dicit Apostolus. In hoc cognovimus caritatem Dei, quia ille animam suam posuit pro nobis, ut nos debemus pro fratribus animas ponere. Talis necessitas esset, si ad baptizandum infantem, aliquin perituum, opus esset, te vitæ periculo exponi. R. 2. Necessitati gravi, sed non extremæ, non teneris cum periculo vitæ subvenire præcedente ex Charitate; nam quandoque ex officio & justitia

tia teneris, ut si sis pastor, nisi succurrendo vni, gravius damnum alijs inde timendum esset ex tui iactura. R. 3. Proximo gravem necessitatem spiritualem patienti, teneris succurrere cum levi tuo detrimento temporali, secus patienti levem necessitatem. Quæ omnia deducuntur ex Regulis generalibus lib. 2. traditis.

594. Queritur 4. Si plures necessitatem æqualem patiuntur, quorum vnus altero mihi conjunctior est, nec possim omnibus subvenire, an conjunctior sit ex obligatione præferendus. R. Affirmativè. Nam Conjunctio est fundamentum Charitatis fraternæ. Et quidem si vnus sit conjunctior conjunctione naturali sanguinis, alter conjunctione spiritali, v.g. pater spiritalis, vel patrinus, prior est præferendus, cujus conjunctio est radicata in natura, saltem si sit in primo gradu. Neque refert, si extranei eandem necessitatem patientes, sint Sancti, tui autem consanguinei sint peccatores: nam Ordo Charitatis non desumitur ex majore conjunctione cum Deo, sed cum diligente.

595. Queritur 5. An naturaliter conjuncti, sint necessariò præferendi conjunctis vinculo civili, benefactoris, amici. R. Affirmativè de conjunctis in primo gradu; quibus etiam annumeratur conjunx; nisi jura consanguinitatis violassent, tunc enim non teneor præferre, quamvis licet possem præferre.

Inter ipsos autem conjunctos æqualiter, non constat satis quis ordo servandus sit; unde, si ordo invertatur, non erit grave peccatum. DD. collocant primo loco Patrem, secundo Matrem, tertio Vxorem, quarto Liberos, quinto Fratres: sed probabiliter aliqui liberos vxori præponunt.

CONTROVERSIA VII.

De Eleemosyna, & Correctione Fraternali.

596. Charitatis opera alia sunt Corporalia, alia Spirituality, quæ in Catechismo enumerantur. Queritur, quandonam obliget præceptum dandi Eleemosynam. Notandum 1. Triplicem esse necessitatem corporalem seu temporalem proximi, Extremam, Gravem, Communem. Extrema est, quando vel periclitatur vita; vel sanitas graviter lædenda in perpetuum; vel est periculum mutilationis gravis, vel perpetui Carceris, quæ morti comparantur. Gravis est, quando est periculum moraliter certum gravis damni seu corporis seu honoris aut bonorum, à quo se liberare non possit, nisi juvetur. Communis necessitas est, quam communiter pauperes patiuntur, & quam non nisi cum magna difficultate possunt superare.

597. Notandum. 2. Eleemosynam non nisi ex bonis aliquo modo superfluis esse ex obligatione faciendam. Alia autem bona sunt superflua respectu tuæ tuorumque vitæ sustentandæ, necessaria tamen statui conservando: alia sunt superflua etiam statui: sed hæc rarò inveniri notant DD. semper enim ob futuram probabiliter rerum mutationem adest titulus probabilis, quo bona numerentur inter necessaria statui conservando, vel etiam meliorando altiusque evehendo.

Notandum 3. Neminem obligari ad querendum egenum ex officio charitatis præcisè, hoc enim esset nimis grave, & 1. Jo. 3. solum dicitur: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo?* Not. 4. Te non obligari subvenire illi, cui credis alium probabiliter subventurum, talis enim respectu tui non est in necessitate positus. Nunc ad Quæsitum

R. 1. Necessitati extremæ teneris subvenire ex convenientibus statui, non tamen ex necessarijs conservando statui, ita ut sine talibus bonis miser evaderes, & ex pristino statu decideres: cum nec tuæ propriæ vitæ subvenire tenearis cum tali iactura: imò nec teneris subvenire extremæ necessitati, quando opus esset extraordinarijs magnis expensis, etiam si tibi non essent illa pecuniæ necessaria; nam talis obligatio esset pernitiola, minueret enim curam civium & parentum ad augendas divitias, & alijs præberet ansam temerè se in hujusmodi necessitates precipitandi, & exteris esset occasio exhauriendi provinciam, exigendo magnas summas pro captivis &c.

R. 2. Ex superfluis, hoc est, non necessarijs, neque etiam statui præsentibus convenientibus, hoc est, sine quibus potes tuum statum adhuc conservare sine gravi difficultate, teneris subvenire proximo in gravi necessitate constituto. Colligitur tum ex cit. lo. S. Joannis, tum ex Matth. 15. Sed de his videri possunt Filiucius, Palao, Conink, Sanchez Confil. Moral. Confil. Moral. l. 1. c. 8. dub. 5. à n. 4. Lugo d. 16. de Just. f. 7. à n. 150.

598. Quoad Correctionem fraternam, ex stare illius Præceptum constat tum ex S. Scriptura Matth. 18. tum ex ratione: quia sicut in te ipso debes voluntatem peccaminosam impedire ex charitate erga te ipsum, ita hoc malum spirituale teneris impedire cum proportionem in proximo, cum quo constituis vnum Corpus politicum. Ut autem obliget hoc præceptum, tres conditiones requiruntur. Prima, ut proximus sit in gravi necessitate spiritali constitutus. Secunda, ut possis juvare sine gravi tuo tuorumque incommodo. Tertia, ut sit spes probabilis alicujus fructus per correctionem obtinendi. In dubio, an sit correctio profutura vel obfutura, non teneris corrigere; teneris tamen si sola emendatio sit

lii 3

dubia,

dubia, & nullum dubium Nocuenti : sic enim & non aliter expedit obligari.

599. Circa Necesitatem proximi & corrigentis damnum, notant DD. eam vel nunquam, vel raro esse extremam; qualis esset, si ignoraret Media necessaria salutis, tunc enim illi non tam correctio, quam instructio, aut Medij exhibitio necessaria est. Quando verò est in gravi necessitate constitutus, nec tamen, si non corrigatur, statim periturus, non teneris corrigere cum gravi tuo damno, vel incommodo, quale etiam esset gravis verecundia, quæ etiam à viro gravi non facile vinci posset.

600. In modo corrigendi, servandus est ordo quem & ratio naturalis, & declaratio Christi Domini apud Matthæum præscribit, ut nimirum primò fiat correctio occultè, nemine alio conscio. Quod si non profecerit, adhibeat vnum alterumve correctionis socium; si neque hos curaverit, denuntiet Ecclesie. Est, inquam, hic ordo servandus, si delictum sit occultum, & sic emendandum speretur, nec boni communis, aut Regulæ alicujus Religionis, in qua Religiosi quoad hoc juri suo cedunt, aliud postulent.

CONTROVERSIA VIII.

De Scandalo.

601. **S**candalum definitur : Opus minùs rectum (hoc est vel malum, vel speciem mali habens) præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis, hoc est peccati.

Duplex est Scandalum. Activum (& hoc solum est scandalum propriè dictum, paulò antè definitum) & Passivum, hoc est, ipsa actualis ruina proximi; quæ quando provenit ex opere licito, nec speciem mali habente, est Scandalum purè passivum. Ad Scandalum activum requiritur, ut appareat mihi probabile, securam proximi ruinam; unde si hoc non potest probabiliter timeri, non committitur Scandalum, etiam si ruina sequatur (nisi directè ruina intenderetur, ut mox dicam) sicut neque committitur, si non sequatur occasione illius operis.

602. Scandalum ergo Activum ex duplici intentione potest procedere, directâ scilicet, & indirectâ. Directa iterum duplex esse potest; vel ex odio proximi, intendendo ejus ruinam quâ talem; vel non ex odio proximi, sed ex aliquo commodo & gustu, quem inducens inde consequi intendit, ut si quis faminam sollicitè ad peccandum. Indirecta intentio est, quando quis præviso periculo lapsus alieni, hoc non obstante operatur. Diversitas harum intentionum variat Speciem peccati scandali, imò, si directâ sit intentio, contrahitur etiam Species illius pec-

cati, quod in proximo intenditur, ut tractatum de Sacramento Pœnitentiæ.

603. Scandalum purè passivum est nec duplex: Pharisaicum, hoc est, quando proximus nullo sibi dato scandalo activo, ex propria malitia & perversa voluntate ruit, ut Pharisei condemnantes Christum, quod manducaret cum peccatoribus, quod alijs beneficiens non teneret Sabbathum &c. Scandalum pusillorum est, quando proximus ex opere alioquin licito sumit occasionem ruinæ, vel quia ignorat opus licitum, hic & nunc, vel quia fragilis est: ut, si quis et honesto ornatu mulierum peccandi occasum sumat. Nunc

604. Quæritur 1. An omne peccatum publicè & notoriè factum, habeat speciem malitiam Scandali, ita ut non satis sit in confessione explicari Speciem principalem illius peccati, & Luxuriæ, sed etiam dicendum sit, peccatum hunc publicum. 2. Affirmativè, si peccans ad hoc circumstantiam advertit. Nam omne peccatum publicum habet hoc, ut saltem partialiter inducat laxitatem, & majorem peccandi libertatem, & verecundiam: adeoque habet probabilem commotionem cum aliqua proximi ruina.

Quæritur 2. An quandoque liceat exgratâ causâ, v. g. ut te indemnem serves, permittit peccatum alterius, quod impedire posses. 3. Affirmativè. Exemplum. Maritus habens solutam suspicionem de adultero cum sua uxore, potest se occultare cum testibus, ut proci in delictum deprehendatur, & ipse possit facere divortium. Non enim tenetur cum tanto suo incommodo quod in cohabitatione patitur, impedire alterius delictum.

606. Quæritur difficultis 3. An ex tali fine liceat positivè offerre alteri occasionem peccandi. v. g. an mulier ab alio sepe molestam sollicitationem patiens, possit ex consensu mariti in æquivocare, & dicere proco: contenta sum, ut tali horâ venias, ostium erit apertum: quæ verba significare quidem possunt acceptationem peccaminosam oblati adulterij, potest tamen eorum verborum veritas salvari, etiam si non adit talis animus: quia potest mulier esse contenta ut ostium ingrediatur, ut à marito deprehendatur, & accusetur, sicque mulier redimat vexationem, sicut legitur de S. Bernardino. Licet affertur Jo. Sanchez & Petrus Navarr. Negat communis sententia, putans talem positivè cooperari directè peccato. Sa, Thom. Sanchez, Bonac.

607. Ego distinguendum puto. Si enim hæc occasio offeratur eo animo & intentione, ut alter ad peccatum inducatur, & hac occasione tatur, non licet, & vera est secunda Sententia, quia talis directè & practicè intendit peccatum alienum. Si verò talis animus absit, neque

lier optet acceptari occasionem, offert tamen tantam actionem indifferentem, sicut qui à faneratore mutuum petit; tunc prima Sententia vera videtur; sed in praxi non est suadenda, ob periculum perverse intentionis.

608. Quæritur 4. An peccet peccato Scandalis suadens minus malum, illi, qui jam determinatus est facere aliud majus malum. Conveniunt DD. hoc licere, si Minus malum sit inclusum in Majore; vt si volenti occidere, suadeas, vt vulneratione non lethifera contentus sit. Quando autem minus non continetur in majore, tunc magis dubium est. Et quidem in materia Iustitiæ specialis est difficultas, de qua suo loco dicam. Nunc autem loquendo de alia materia, multi sunt qui hoc negent licere, quos sequitur Palao, qui tamen cum alijs concedit, licere tunc proponere præcisè talem veritatem, quâ alterum instruas, minus peccatum esse v.g. Fornicari quàm adulterare.

609. Quæritur 5. Quandonam peccent femina, ornando se cultu externo corporis. R. Peccare mortaliter, si tali ornatu se ornent, quo sciunt, alios ad illicitos amores commoveri solere, & tali ornatui non nisi vanum aliquem finem præfigunt: secus si honestum finem intendunt, qualis esset, servare morem patriæ. Prioris partis ratio est: quia quivis tenetur graviter, impedire alterius ruinam gravem, si sine notabili suo incommodo potest; quod in priore casu non apparet, adest tamen in secundo.

610. Quæritur 6. Quandonam liceat vendere indifferentia ad Bonum & Malum vsum, vt Venenum. R. Ea quæ communiter ad malum vsum destinantur, non licet vendere, nisi mora-

liter constet, ex qualitate personæ, vel modo petendi, non fore vsum illicitum. R. 2. ea quæ communiter solent in bonum vsum adhiberi, vt arma, licitè venduntur, quamdiu non constet, eumentem abusurum: quodsi hoc constaret, & posset sine incommodo gravi venditio negari, neganda esset.

611. Quæritur 7. Quandonam liceat ab altero petere aliquid, quod secundum se indifferentens est ad malum & bonum, sed tamen scitur, alterum non nisi cum peccato præstiturum, v. g. quandonam liceat petere mutuum ab Usurario, Sacramenti administrationem à peccatore, Juramentum, à perjurato. R. Tunc solum licere, quando gravi necessitati & damno cavendo est necessaria talis petitio. Pari modo excusantur Famuli, captivi, filijque, cooperantes operatione ex se indifferenti, Domino, vel Patri ad peccatum, vt deferendo litteras amatorias, ducendo meretricem ad domum, remigando apud Turcas contra Christianos pugnantes, caupones vendentes vinum sese inebriaturis, Symphoniaci lufiores &c. quæ omnes operationes & his similes, non intrinsecè malæ, possunt cohonestari ex quadam necessitate, & incommodo gravi aliquin imminente.

612. Quæritur 8. An aliquando opus bonum non præceptum, omittendum sit ad cavendum alterius scandalum. R. Si scandalum ex fragilitate communi contingeret, vel ex ignorantia, tunc vel esset monendus proximus, vel opus differendum, vel etiam, si res exigat, omittendum. Et hæc de his facilioribus satis.

FINIS TERTII LIBRI.



CONTRO.

